

De Magis apud Veteres

HC

1206

FH. 116.

Q. D. B. V.

CONRADVS SAMVEL  
SCHVRZFLEISCHIVS,  
DECANVS  
ORDINIS, IN ACADEMIA VI-  
TEMBERGENSI  
SAPIENTIAE ET LITERARVM STVDIA  
MVNERIS PVBLICI FIDE ET CVRA  
COMPLEGENTIS,  
CIVIBVS OPTIMIS,  
ARTIVM INGENVARVM  
CANDIDATIS

S. P. D.



VITEMBERGAE,

TYPIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACADEM. TYPogr.



Uem MAGI veteres locum tenuerint,  
quod in vita munus geslerint, quas in  
republica partes sustinuerint, ubi con-  
federint primum et floruerint, quorsum  
migraverint deinde, et longis itineri-  
bus pervenerint, quamobrem denique tantum labo-  
rem tam incredibili constantia suscepent ac supera-  
verint, referre post alios me non piget, et divinae hu-  
manaeque sapientiae alumnos, in Magorum exempla  
intuentes, fortasse iuvat quodammodo, aut mini-  
mum delectat. Magi enim primi omnium fuerunt,  
qui recens natum coeli terraeque Regem donis cul-  
tum exciperent laeti ac salutarent, eaque in re cunctis  
gentibus praerirent, non sola imbuti maiorum discipli-  
na, quae tamen haud spernenda est, et multum pro-  
dest posteris, sed lumine divino, quod omnem huma-  
ni ingenii caliginem tollit, et tenuissimum quoque ex  
animo scrupulum evellit, collustrati penitus et confir-  
mati. Quos nemo, nisi parum sciens, honore patriae,  
quam Persia sibi vindicat, fraudare ausit, propterea  
quod Persarum ritus servarunt, et Reges ipsosmet ad  
instituta maiorum erudierunt. His rebus factum est,  
ut simulacra et statuas non modo non haberent, sed  
etiam improbarent aperte ac prohiberent. Stamus  
auctoritate Herodoti, ingenue scribentis, Persas mo-  
re suo non ponere statuas, quas ab Aegyptiis repeten-  
das alibi indicavit, *in libro, qui inscribitur Clio cap. CXXXI.* Multis post eum seculis Diogenes Laertius  
pronunciavit de Magis, quos in Persarum sapientibus  
numerat, τὰ Σοάνα νατογινωνεν. prooem. cap. VI. Verbum  
e foro desumptum, eam vim habet, ut formulam da-  
mnandi complectatur: quo argumento aerae ex sacris  
Persarum exterminantur prorsus, vitisque damnantur.  
Exempla, quae passim reperiamus, prudens omitto;  
tantum admoneo, Herodotum pro τοῖς Σοάνοις, τὰ αὐτὸν  
scripturum fuisse, quod genus vocabuli crebro usurpa-  
vit, in hoc praesertim de Persarum et Aegyptiorum  
sacris argumento. Apud Pausaniam in Achaicis est  
Σοάνον Σύλλον, apud alios λέγον invenimus: alterum ἄγραμπα  
generatim patet, alterum angustius definitur. Vallae

*quoque interpretatio verbi ingenio non respondet, et extenuandi atque ponendi significationem confundit.* Nec vero non memor antiquitatis Persicae Tullius confidenter tradit, neminem fieri potuisse Regem Persarum, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset, *L. I. de divinat.* Certe id Darii Hystaspis tempore, cum Smerdis regnum turbaret, non perinde evenit, neque eadem omni aetate Magorum dignitas fuit: sapientes nihilominus et docti homines, vel Tullio teste, ex Magorum disciplina prodierunt. Plato de Magis praecclare existimavit, et magiam divini cultus ministram, Graeco sermone Θεῶν δέσμοις dixit, in *Alcibiade priore*, quem locum sine ulla dubitatione respexit Laertius, quum scripsit, magos Deorum cultui, et sacrificiis, precibusque operam dare: Μάγοις πρεστὲς δέσμοις Θεῶν διαρρέουσι, καὶ θυσίας, καὶ εὐχαῖς, in prooemio *historiae*, qua vitae Philosophorum continentur. Ex Platone repetit Apuleius, utriusque suffragator, et antiqui moris haud imperitus, pueros sane in Persia regos, Magorum disciplinis erudiri solitos, in *apologia I.* quam pro se ipso scripsit, testatus. Ascentiuntur Porphyrius, Hesychius et Suidas, quorum ille Magos describit, tanquam πρεστὲς τὸ Θεῶν σύνθετοι, καὶ τέττας δέσμοντας, ille Θεολόγοις, καὶ Θεοσεβεῖς καὶ ιερεῖς, hic Φιλοσόφοις καὶ Φιλόλέσαις interpretatur. Novissime Phavorinus hos tales idoneos autores, speciatim Suidam secutus, Philosophos et theologos nominavit. Libens praetereo Philoniem, qui Magos vocat naturae investigatores, τὰ Κύπεων ἔργα διερευνώμενα, quos alii sacerdotum nomine cohonestant. Horum posteri divitias animi in lucro posuerunt, et excelsa mente praediti, divinitusque excitati, Regis nuper natu causam non deseruerunt, et ab Oriente profecti, dona Rege digna attulerunt. Idcirco ex Persia, quae Orientem versus Iudeam spectat, egressi, aperuerunt thesauros, et in oculis conspectuque matris munera exposuerunt. Perspicua et coelo demissa verba rem confirmant: ἀπὸ αἰατολῶν, conservudine Graecorum, saepe numeros permutantium, quando nomine multitudinis rem unam ac singularem notant. Sententia divini scriptoris est, ἀπὸ αἰατολῆς, id est, ἀπὸ αἰατολικῆς χώρας, sigillatim ἀπὸ τῆς Περσίδος. Nihilo secius exponunt Clemens Alexandrinus Strom. I.I.Basilius homil. XXV. de humana Christi nativitate, Cyrus Alex. hom. IV. in Esaiam, Chrysostomus hom. VI. et VII. in Matth. Dissentient equidem Iustinius

Martyr, et qui hunc sequitur patrum Latinorum antiquissimus,  
Tertullianus Afer, tum Epiphanius, et inter eos multi, qui patrum  
memoria scripsérunt, Baronius, et Cornelius a Lapide, quippe qui ex  
Arabia profectos arbitrantur. Nam etsi aromata in Arabia, pae-  
stum felici, cumulate proveniunt, auctoribus Herodoto, Diodo-  
ro et Ctesia, horumque testimoniis submixo Tzetze, qui Chil. VIII.  
v. 987. Arabiam ἀρώματον ἐντέλεστον laudat, tamen nihil vetat pro  
patria M̄gorum Persia propugnare. Etenim una tellus non gignit  
omnia, tantum abest, ut sufficere cuncta et suppeditare possit, ut  
quoque aromata etiam nunc aliunde inferantur. Sed haec mittam,  
quando exquirendum restat, quorsum iverint et venerint incitati pi-  
etate sapientes, qui Hierosolymam ingressi, Bethlehemum, duce-  
stella, quam supra naturae vires in aëre Deus suspenderat, perrexer-  
unt. Ibi finem terminumque itineris habuerunt, et dudum ex-  
pectato salutis vindicis exhibuerunt, in urbe nimirum, non in subur-  
bio, ēν Βηθλέεμ, ēν τῇ πόλει, non ἐγγύς πόλεως, neque ēν Ὀρεσίῳ,  
ut plerique fabulas narrant, et mire tricantur. Illud vero difficile explicatu est,  
quemadmodum stellae indicio moveri potuerint ad inquirendum infans ordinem a-  
spicerent, et Numinis revelatione excitati in viam se darent, nec spe inveniendi fru-  
strarentur. Paulo confidior fuit Hieronymus, qui magos arte astrologiae putat  
fuisse adiutori, ut nativitatem Christi explorarent. Sed nulla eam ratio percipere, ne-  
dum investigare potuit, cur omnes naturae vires excederet, et plena divinioris mi-  
raculi nativitas esset, quod recte cum animo reputavit Leo Magnus, in Epiphanius, serm.  
I. De stella nihil addo, et in Basili, qui fratre Gregorio cautor fuit, sententia ac-  
quiesco. Nazianzenus οὐδὲ τὴν σφυρον appellavit, propter similitudinem, quam cum  
stella habuit, significandam. Orat. I. Recte in hanc rem scripsit, quem paulo ante  
laudavi, Basilius. οὐδὲ τὸν ὄντα δίπλω τὸν θαυματὸν γέννησαν, in homil. cit. de nati-  
vitate Christi. Legendus hic omnino est Chalcidius, ex schola Platonis Philosophus,  
qui meminit stellae cuiusdam insolitae, quae descendens Dei ad servandos morta-  
les factum praenunciaverit Chaldaeis, quibus finiti erant Persarum Magi, in Com-  
ment. in Timaeum. Venithic in mentem, quod legi in fastis martyrum, stellam praedi-  
xisse viris, in Dei amore cultique defixis, et in conquirendis martyrum reliquis, ut  
terre mandarentur, occupatis: in passione Tarachi, Proiect Andronici. Verum fatis dixi  
de magis, qui non male negligenterque res optimas curarunt, et Philosophi, Astrolo-  
gi, ac Theologi etiam nuncupati sunt, quoniam in his talibus disciplinis operam, stu-  
diū, laborem posuerunt, quales Philo et Porphyrius collaudant. Arcemus ergo et o-  
dimus magos, fraudum malignos artifices, quos Graeci γόργον κακοτύχος appellant,  
quosque reprehendit Irenaeus, lib. I. adversus haeres. Vbi magiae nomine periergam  
comprehendit, improbas artes intelligens: mendose pariergam scribunt. Graecam  
vocab usurpavit Eusebius. I. IV. H. E. c. 7. Praevisit divinus scriptor act. XIX. 19. Cyrilus  
Hierosolymitanus κακοτύχοις nominat, quibus etiam divinae veritatis hostes ute-  
bantur. Cateches. mystagog. I. Epiphanius haer. LXVI. Haec est illa magia, quam Plinius fra-  
duleus simile artium dixit, His Nat. lib. xxx. e. Quam detestantur boni omnes et docti,  
aque in vera sapientiae officina versantur, quos nulla calamitas de praefidio dei-  
cit, multo minus in discrimen famae adducit. Talis enim est Sapientis animus, ut  
non frangatur iniuriis temporum, nec paupertate eius gloria imminuat. Ad  
Vos haec dirigunt oratio, LITERATI CIVES, et CANDIDATI, virtutis et do-  
ctrinae laude florentes. Erigite, quaeque, animos ad summa honorum praemia, quae  
constituto tempore imperiar, capessenda. Promitto Vobis, quae non exolecent,  
ornamenta: neque enim me ratio promissi, neque Vos spes adipisciendi honoris  
fallit. Cetera felicitatem mentiuntur et fluxa sunt, vera et perennis felicitas  
tranquillitatem animi, et suavitatem literarum continetur. P.P. Vitembergae Saxon-  
um, Ipso Epiphaniorum solemani Sacro, A.R.S. c. 10 ccii,

x 304 7916

VD 18

MC

II C  
1206

De Magis. apud Veteres

FK 16, 10


Q. D. B. V.

# CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIUS, DECANVS

ORDINIS, IN ACADEMIA VI  
TEMBERGENSI  
SAPIENTIAE ET LITERARVM STVDA  
MVNERIS PVBLICI FIDE ET CVRA  
COMPLEGENTIS,

## CIVIBVS OPTIMIS, ARTIVM INGENVARVM CANDIDATIS

S. P. D.



VIT EMBERGAE,  
TYPIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACADEM. TYPogr.

